



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

LXIV. Bischof Ludwig von Brandenburg versichert das Kloster Chorin der Zehnthhebung in allen Besitzungen des Klosters, am 10. Januar 1335.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

LXIII. Bruder Egidius, Vicar der Bischöfe von Magdeburg, Brandenburg, Halberstadt, Naumburg etc., verschreibt den Wohlthätern des Klosters Chorin einen Ablass, am 13. November 1334.

Frater Egidius, miseratione diuina Verionensis Ecclesie Episcopus, Tytuli sancte Marie, Venerabilium in cristo patrum sancte Magdeburgensis archiepiscopi, Ratisponensis, Nuwenburgensis, Brandenburgensis et Halberstatis Episcoporum et Ecclesiarum vicarius in spiritualibus generalis, Vniuersis cristi fidelibus presencia visuris Salutem in eo, qui est omnium vera salus etc. — Cupientes — vt Monasterium in chorin — congruis honoribus veneretur et a fideli populo iugiter frequentetur, Omnibus uere penitentibus et confessis, qui dictum Monasterium cum deuotione visiterint et altaria, que cooperante uobis gratia specie septiformis, Primum uidelicet supremum in honore beate et gloriose virginis marie, Secundum in honore omnium sanctorum, Tercium in honore beatorum Materni et Ewrey confessorum, Quartum in honore sanctorum Johannis baptiste et ewangeliste, Quintum in honore sanctorum Benedicti et Bernardi confessorum, Sextum in honore Beatorum stephani et laurencii martyrum, Septimum in honore beatarum katharine et aghathe virginum ac martyrum, In festiuitatibus infra scriptis, uidelicet Natiuitatis cristi, Circumcisionis, Epyphanie, quatuor festiuitatibus beate Marie, Parasceues, pasche, ascensionis, penthecostes, Trinitatis, Corporis cristi, apostolorum, Johannis baptiste, Laurencii, Stephani, Vicentii, Cyriaci, Eustachii, Augustini, Nicolai, Benedicti, Ambrosii, Bernardi, Francisci et Egidii, katharine, agnetis, Margarete, Aghathe, Dorothee et Vndecim millium uirginum, In commemoratione omnium sanctorum et animarum Patronorum et dedicationis dictorum altarium, et qui ad ornamenta et luminaria eorundem pias elemosynas in auro, argento vel rebus aliis elargiti fuerint seu elargiri procurauerint aut quomodolibet manus porrexerint adiutrices, Nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum apostolorum petri et pauli meritis gloriosis confisi, nostro ex officio vicariatus prescripto, de iniunctis eis penitentiis ducentos dies et quadraginta in dictis festiuitatibus, consecrationis uero die et sanctorum, in quorum honore ipsa altaria dedicauius, vnum annum misericorditer de consensu dictorum Episcoporum in domino relaxamus. Datum Chorin, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXXIII<sup>o</sup>., Die dominico proximo post festum beati Martini Episcopi et confessoris nostro sub sigillo.

Nach dem Original des Königl. Geh. Staats-Archives.

LXIV. Bischof Ludwig von Brandenburg versichert das Kloster Chorin der Zehnthebung in allen Besitzungen des Klosters, am 10. Januar 1335.

In nomine Sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam ea, que geruntur in tempore, simul cum fluxu temporis euanescent etc. Hinc est, quod nos Ludouicus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie Episcopus, notificandum duximus presentibus uniuersis tam presentibus quam futuris, quod ecclesie beate virginis in Chorin ac fratribus ibidem Deo famulantibus de pleno consensu et approbatione nostri prepositi Thiderici ac totius Capituli Brandenburgensis, in remissionem nostrorum peccaminum, Decimas seu amministrationem decimarum cum

fructibus earundem uniuersis, uidelicet de villis eorum, que huiusmodi nominibus appellantur, Choryn, Goltiz, Briceke, magna Cyten, Bucholt, Serwtiz, Hertsprunck, Stoltenhagen, cum curia adiacente et uico, qui dicitur Kyz, Luderftorp, Parften, Brodewin, Lypa superior et inferior, Hospitale in Oderberge cum Barsdino et omnibus suis pertinentiis et appenditiis. Et etiam de specialibus mansis quarundam villarum, uidelicet de decem et nouem mansis in Richenberg, sex in Sconenvelde, quinque in Begerftorp, octo in Cruffow, tredecim in Sconermarke, quatuor in Zdroye, circa ciuitatem Vorftenberg iacentibus, et generaliter de omnibus bonis eorum nunc acquisitis scilicet de curiis seu allodiis sic nuncupatis Pelyz, Plawe, Buzhoue, Altena cum agris Roghofen, antiqua curia cum uico sitis circa villam Lunow, siue tales curias per se excoluerint siue aliis dederint ad colendum ad firmam, siue in villas redigantur, cum molendinis, uineis, ortis, uirgultis, pratis, pascuis, siluis, mericis, stagnis, paludibus, lacubus, piscinis, riuulis, agris cultis et incultis, insulis, animalibus et eorum nutrimentis, cum omnium predictorum pertinentiis et utilitatibus, que inde nunc emergunt aut futuris temporibus sunt emerfura, libera ac perpetua donatione contulimus atque damus sub quieta possessione perpetuo possidendas. Abnegantes omne jus, quod in predictis decimis habere uidebamur, ita uidelicet, quod neque a nobis neque a nostris successoribus Episcopis neque a preposito, qui pro tempore fuerit, neque a capitulo Brandenburgensi supra predictis decimis a nobis gratuito donatis, neque a nostris successoribus generaliter omnibus, predicti Domini et fratres de Choryn aliquo ingenio uel colore impetantur seu quouis modo molestantur. Saluis tamen Episcopalibus denariis a rusticis sepedictorum Dominorum de Choryn secundum morem terre nobis dandis annuatim. Prefatam collationem decimarum facere decreuimus, ut exinde nostri memoria ac successorum nostrorum a predictis fratribus de Choryn in monasterio eorum perpetuo peragatur. Hanc itaque donationem nostram decernentes firmam haberi et perpetuis temporibus inconuulsam et a nullo penitus irritandam, ipsam presenti scripto ac sigillorum appensionibus uidelicet nostri nostrique prepositi Thiderici nec non Capituli nostri Brandenburgensis beniuolo seu uoluntario consensu eorum accedente de nostra ac ipsorum certa scientia fecimus communiri. Huius rei testes sunt Honorabiles uiri ac Domini Thidericus, prepositus noster Brandenburgensis, Johannes, abbas in Valle S. Marie, Johannes, Abbas in Cenna, Hermannus, Abbas in Lenyn, Johannes, Abbas in Celi porta, Thidericus, dictus Koto, Canonicus eiusdem ecclesie Brandenburgensis, Elgerus de Honsten, Thidericus de Reppin, monachi in Lenyn, Thidericus, nostre curie Officialis, Hermannus de Arnborch, Canonicus apud sanctum Nycolaum in antiqua ciuitate Magdeborch, Ekhardus, Capellanus noster, Fredericus, notarius noster, et plures alii fide digni. Acta sunt hec anno incarnationis Dominice M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXX quinto, Epacta XXV., Concurrente sexto, Indictione tertia, quarto ydus Januarii.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives herichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 472. Es sind hieron 2 Originalia vorhanden, welche jedoch nicht ganz genau übereinstimmen.